



GENEALOGIA SUMMORUM PONTIFICUM,
qui sacris praesuerunt post captivitatem Babylonicam usque ad
Antiochum Epiphanem & Macchabeos.



GENEALOGIA ASSAMONÆORUM.



IN

IN LIBRUM ESTHER
PROLEGOMENON.

ASSUERUS, alio nomine Darius, filius Hytaspis, Rex Persarum, magnifico convivio Optimates Regni sui solidis 18. diebus excepit. Mensas etiam instruxit per hebdomadam universo populo Susarum; urbis imperii sui Metropolis. Septimâ conviviit die largiori vino latus Reginam Vasthi, uti spectaculum sui præberet convivis, accivit. Cùm illa venire pervaciâ recusasset, Regii Consilii decreto statutum est, ut de thoro Regis exiciens ad privatam fortunam redigeretur; datis insuper literis per universum Regnum, ut foemina deinceps viris suis per omnia submitterentur.

Secundùm hæc, alteri foemina in locum repudiata substituenda; formâ insignes puellæ undique per provincias conquiritæ; Susas deductæ sunt. Præstare cæteris visa est oculis Assueri. Edissa vel Esther, foemina Judæa, neptis sive consobrina germana Mardochei Tribu Benjamin. Hæc igitur puella in vacuum Regis thorum assumpta est.

Regio favore eo tempore pollebat Aman, qui, divinos honores quemadmodum sibi ceteri solebant, reddere Mardocheo Judæo recusante, ad eum in virum excaudit, ut excidium ipsius & universæ nationis Judaicæ sacramento decreverit. Edictum à Rege impetratum, ut quotquot in Regno versari contigisset, Judæi omnes bonis expoliati trucidarentur. Decreta in eam rem dies decima-quarta mensis Adar; cùm edictum illud anno sermè ante, die nempe 13. Nisan, datum esset. Hæc diei præfinitio forte quidem, sed non sine latentis Divinæ providentiæ voluntate constituta est.

Re audita Mardocheus, simulque reputans se unum in causa necis populo imminens fuisse, quippe qui debitos Deo honores Aman impendere recusasset; de omnibus certiore fieri Esther curavit, rogavitque, ut Regem adiens edicti abolitionem posceret. Illa tridui prius jejuniis, ac oratione præmissa; (quemadmodum & à cæteris Susarum Judæis præstitum est) Regem convenit postulans, ut ad se venire unâ cum Aman præstandi gratiâ dignaretur. Acquivit Rex; absolutoque convivio, ut altera die rediret rogans Esther impetravit.

Statuerat eadem die Aman in trabe in atrio domus suæ suspensum Mardocheum

infami supplicio perimere. Eo consilio mane summo Regem adivit. Casu quodam contigerat, ut Rex eâ nocte in somni terrore levaturus, legi sibi Commentarios Regni sui jussisset, auditæque conspiratione, quam Mardochei indicio ipse detexerat, simulque intelligens nihil adhuc præmii virum recepisse; statuit viri fidem regali munere donare. Quid autem Rex largiretur, Aman ipse imprudens designare coactus est; quin & testis stare jussus honoris in Mardocheum collati, cujus ipse instrumentum fuit, & momentum. Præcepit enim Aman Assuerus, ut virum illum deduceret per fora Susarum, elatæque voce vulgare, eo honore virum donari, cujus fidei Rex plurimum se debere profitebatur.

Aderat jam convivii hora, cùm Rex unâ cum Aman ad Reginam sese conferens, lauto ab illa convivio exceptus est. Esther occasionem nata Regis largiori cibo potuque hilarescentis, simulque pollicentis omnia se illi, quæcunque posceret, collaturum; quæ Judæis imminabant mala omnia, eorumque innocentiam, tum & malum Aman animi reseravit. Nec mora: eadem die Aman de trabe suspensus est, quam ipse prius Mardocheo paraverat; revocata insuper quæ à Rege prius dolo malo impetrata fuerant adversus Judæos edicta. Permissi tandem Judæi Susi & in omnibus Regni Provinciis versantes, die 14. Adar eorum cædi antea destinata, impune in adversarios suos sævire. Hæc dies per annos sineulos recurrens festa, quam Purim, idest fortes appellarunt, habita est. Hæc summa historia Esther.

Inscribitur Hebraicè Opus: *Volumen Esther* (a), & inter canonicos Judæorum non accensetur tantum, quin & magni semper factum est, tanquam inter omnia eximium. Ejus præstantiæ concedere autumant ipsa Danielis, & Isaïæ scripta. Addunt, omnes quidem Prophetarum & Hagiographorum Libros in adventu Messis fore abolendos, uno tantum Libro Esther incolumi, cui parem cum Libris Moysis eternitatem adstruunt. (Maimon. Hilcot. Megillab. cap. 2. §. 18. Vide Siskard. Not. in orat. de Purim) Licet autem veterum gentis malorum ne memoria quidem perseverare ultra illud temporis debeat, sua nihilominus solemnitas Festo Sortium stabunt, stabit & lectio ejus Libri, juxta fidem oraculi Esth. 9. 18. *Isti sunt dies, quos nulla unquam delebit oblivio.*

Versio Græca hujus satis ab Hebræo differt. Pp cre-

a Megillab Esther.

scripat, e qua additiones plurimae in veterem Vulgatam ante S. Hieronymum derivatae sunt; ac deinde in nostris Editionibus Latinis etiam post versionem S. Doctoris manserunt, quamquam rejectae ad calcem Libri, & e reliquo Textu ex Hebraeo adornato avulsae. Porro additiones istae in Graeco disseminatae sunt, parentque e. g. ante primum caput (*), in quo de somnio Mardochei, & proditi conspatione duorum Eunuchorum (b); & cap. 3. post ver. 13. (c) legitur epistola Assueri pro exterminandis in universa ditione sua Judaeis data; & cap. 4. post ver. 17. (d) oratio Mardochei, ac deinde Esther pro salute universae gentis Judaeae a Deo impetranda (e); cap. 4. post ver. 8. legitur parva quaedam additio, inserta in cap. 15. vers. 2. 3. nostrae Vulgatae. Graecus cap. 5. (f), ubi aditi ab Esther Assueri historia, satis discrepat tum ab Hebraeo, tum a Vulgatae narratione. In nonnullis Graecis Exemplaribus ad cap. 6. post ver. 10. quaedam leguntur, frustra quaerenda in Hebraeo & in nostra pariter Vulgata; nec in fragmentis ad calcem ejus Libri, in eadem Vulgata legenda; quin & desunt in editione Graeca Complutensi. Edictum Regis pro Judaeis legas cap. 8. (g) post ver. 12. Cap. 10. post ver. 3. usque ad exitum capituli (h) legitur interpretatio somnii, quod Mardocheo per quietem contigit, tum & institutio Festi Purim. Ibidem pariter annus describitur, quo Versio Graeca ejus Libri e Jerusalem in Aegyptum translata fuit (i). Fufius haec adnotavimus, quod si forte liberit, conferantur inter se additamenta ex Graeco, & veteri Vulgata cum Textu Latino, & ad suum singula locum revocari possint, ut de variis ejus historiae circumstantiis earumque connexionione judicium feratur.

Versiones etiam Graecae inter se non penitus consentiunt. Editio Romana, & ea quam Usserius nobis procuravit, Obelis & Aleris Origenis notam, satis inter se conveniunt; fusiores tamen sunt quam alia Versio Graeca, ab eodem Usserio e regione Origenianae publici juris facta. Editio Complutensis minus variat a Romana.

Vetus Latina Versio S. Hieronymo vetustior, cujus P. Martianus Exemplar Ms. ab altero vetustissimo Exemplari S. Germani Pratenfis derivatum nobis communicavit, plurimum & ab Hebraeo, & a Versionibus Graecis abhorret. Variantia in ea plurima, tum & addita atque detracta, quaedam non levioris momenti. Saepè illam laudavimus sub nomine Veteris Vulgatae, seu Veteris Latinae, sive Italicae Versionis. Plures sane ferebantur in Ecclesiis Latinae versiones non minus quam nostrae gratiae Graecae, inter se discrepantes. Porro haec Latina Versio, de qua modò mirà interdum barbarie, & obscuritate horret. Ita quae leguntur ibidem, de secundo Artaxerxis edicto, vix Lector assequitur.

Quis potissimum Graecam illam Versionem adornaverit, res est apud Eruditos ambigua. Veterum nonnulli (k), cum plu-

ribus Recentiorum (l) opinati sunt, Septuaginta Interpretes una cum ceteris Hebraice scriptis Libris hanc etiam historiam vertisse. Moventur autem potissimum, quod Interpretes illi Graecae fidei reddidisse leguntur quicquid in Canone Judaeorum, etate Ptolemaei Philadelphi relatum erat. Porro in Canonem eam etate digestum Librum Esther cooptatum fuisse ac ambigunt quidem.

Sed opinio illa ipsi plane Textui Esther repugnare videtur, cum in Graeco ejusdem Operis cap. 11. i. haec legantur: Anno quarto, regnantibus Ptolemao & Cleopatra, attulerunt Dositheus, qui se Sacerdotem & Levitici generis ferebat, & Ptolemaus filius ejus. hanc epistolam Phurim, quam dixerunt interpretatum esse Lyfimachum Ptolemai filium in Jerusalem. Porro si nomine Regis & Reginae Aegypti Ptolemaus Philometor ejusque conjux Cleopatra significatur, illud constitutum oportet, diu post Septuaginta Interpretes; siquidem illi sub Ptolemao Philadelpho claruerunt [m]; ab Operatione hujus Libri in Graeciam a Lyfimacho fuisse adornatam; ut quid enim alioqui e Jerusalem in Aegyptum transferendum fuisset Opus, quod diu antea opera Septuaginta ibidem innotuisset? Si quis verò quartam hujus Ptolemaei annum, de quo in superiori textu, non ad Philometorem, sed ad Philadelphum referendum contendat (n); censentque Versionem ante Septuaginta in Aegyptum advectam; ut quid Interpretes illi vertendo Operi jam in Graecam a Lyfimacho translato laborassent? Fac autem vertissent, nihil ad nos: quae etenim superest Versio, haec non nisi a Dositheo in Aegyptum translata videtur, quemadmodum verba supra relata satis insinuant.

Eidem Lyfimacho auctori facile tribuendas credimus additiones frequentes, de quibus satis in superioribus. Cave etiam credas eundem Lyfimachum religioe aded verbis Textus inhassisse, quemadmodum ab aliis vetustis Sacrorum Librorum Interpretibus servatum est. Liberius non raro excurrit; nec tamen Opus minus probatum est, neque ab auctoritate sua excidit, cum nihil ab illo adjectum sit sive Textui, sive veritati repugnans. Quicumque in ea fuerunt sententia, illa scilicet omnia quae in Graeco supra Hebraeo redundant, varietati Exemplarium Originalium (o) varia enim fuisse credunt) tribui oportere; illi sane nullam dicti sui documentum solidum exhiberent. Haec enim varia Exemplaria nemo, neque S. Hieronymus, neque Origenes, veteresque Scripturae Interpretes, Aquila, Symmachus, & Theodotion unquam noverunt. Josephus Gorionis in sua Historia Judaica 1.2. c.2. eas omnes additiones probat, & in Opus suum transfert. Nihil de illis Josephus Historicus, quod in suo Graeco Exemplari deesset.

Cum S. Hieronymus versionem hujus Operis ex Hebraeo suscepit, Textum hunc tamquam originale unice habendum ne ambigebat quidem. In ejus sententiam con-

1 Huet. prop. 4. Demonstr. Nat. Alex. alii.

m Obiit Philadelphus A. M. 3758. & Philometor A. 3861.

n Ita Huet. Propos. 4. num. 3.

convenisse Ecclesiam, ex probata S. Doctoris Versione, atque in canonem recepta fati constat. Eruditissimi etiam Scriptores nostrates [o] animadvertunt, Lyfimachum in sua versione adornanda ingenio suo plus nimio obsecundasse; ut e. g. cum in edicto Assueri pro Judaeis loquentem inducit eundem Regem, veluti tempore belli Persarum in Macedones vixisset, his verbis: Aman animo & gente Macedo (p); cogitasse insuper Regnum Persarum transferre in Macedonas. Observat etiam S. Hieronymus (q), Amanenses hujus Operis plus nimio indulgisse, cum non raro viros in eadem historia loquentes induxerint, quemadmodum sibi aptissimum videbatur: Sicut solitum est Scholaribus disciplinis, sumpto themate, excogitare quibus verbis uti potuit, qui injuriam passus est, vel qui injuriam fecit. Luculentum hujus rei exemplum praebet Ms. veteris Vulgatae, e quo plura nos animadvertimus; tum & Graeci Textus additamenta.

Nec tamen jure quis in suspicionem revocaverit tanquam minimè canonica fragmenta illa, quae in nostris Bibliis post cap. 10. 4. ad exitum usque Libri leguntur (r). Ecclesia, & Patres in tot Exemplarium & additamentorum quae Amanuensis ingenio in Opus irrepserunt, varietate, satis distinguere poterunt quid legitimum, verum, & Dei afflatu dictum, quidve fecius habendum esset. S. Hieronymus, quamquam alioqui Hebraicae veritati addictissimus, quamquam e re ipse fuisset, ut versionem suam ex eodem Textu adornatam magis magisque omnibus adprobaret; ea tamen additamenta religiosius servanda ratus, in calce Versionis suae apposuit, simul notans quem locum in Graeco Textu tenerent. Ea insuper omnia, quae necessaria ad auctoritatem creduntur, in fragmentis illis minimè desiderari constat. Nihil habent veritati historiae repugnans, nihil falsi, nihil fidei bonisque moribus absolum. Nunquam non probata ab Ecclesia, (s) in Canone Scripturarum & in ejus Officio (t) recepta sunt. Laudantur a Patribus (u), probantur a Conciliis, & antequam Versio Latina S. Hieronymi in Ecclesia obtineret, & modò etiam in Ecclesia Graeca a reliquo Libri Textu non distinguiebantur. In Catalogis Divinorum Librorum ante S. Hieronymum adornatis, Liber Esther cum additamentis receptus est; nec post S. Doctorem additamenta illa expuncta sunt.

Vix igitur, ac ne vix quidem audaciam illorum probamus, qui de auctoritate illorum fragmentorum dubitasse vixi sunt; multique pariter improbanus illorum arrogantiā, qui totum Librum Esther non nisi conficiam ad libitum fabellam, & veluti Tragediam, in qua tanquam in teatro plures ementitae personae ludant, arbitrantur (x). Ut invidiam Operi confenti, Authoris ejusdem Libri imperitiam affectatā exemplorum conquisitione exagerant. Nec pretereundum sibi ducunt repugnantiam in speciem quaedam inter Textus.

tum Graecum, & Hebraicum; uti e. g. quod in Graeco legitur de muneribus Mardocheo collatis [y] in praemium proditae conspationis duorum Eunuchorum; cum in Hebraeo nihil illi repensum, quo tempore conjurationem revelavit, luculenter exprimitur (z). Aliter etiam utrinque instituitur narratio de adito ab Esther Assuero (a). In Graeco legitur decreta neci Judaeorum dies 14. Adar; in Hebraeo dies 13. (b). Hebraeus supplicium sumptum legit de filiis Aman die 13. Adar (c); cum interim in edicto Regis 8., vel 9. mensibus antea vulgato legitur in Graeco, Amanum ejusque filios infami supplicio praeforibus Susarum suspensos vitam jam absoluisse [d]. Ita tandem loquitur in edicto illo Assuerus, quomodo non Persam sed Judaeum prorsus deceret (e). Stilius etiam utriusque edicti qui originale subolet, neque genium Hebraicum, neque servitutem Versionis satis refert (f). Mentio est ibidem de Macedonibus, veluti de gente potentia, & viribus florentissima; unde genus referre Aman narratur (g). Jubet Assuerus Festum Sortium a Persis omnibus tamquam diem illis sanctissimum celebrari (h); quasi scilicet Judaeorum felicitas multum Persis conferret; quibus potius probro ea dies fuisset, quam decori. Exitus verò hujus historiae aded singularis est, ut fabellam magis referat, quam historiam. Quam diem Aman supplicio Mardochei destinaverat, ipse supplicio suo in eadem, quam emulo paraverat, trabe suspensus, inausam reddidit; quae pariter neci Judaeorum destinata erat dies, haec in adversarios illorum recidit; quo potissimum tempore Mardocheus imminens in suum caput exitum horrebat, ad summos honores evadit, insperato & felici supra fidem eventu. In Libris Esdrae, canonicis illis quidem omnium assensu, Mardocheus inter ceteros e captivitate Babylonica reductus legitur; nihil tamen de admirabili illa, de qua in praesentia, historia. Tandem crimini datur, quod Dei nomen nupiam in Textu Hebraico adscribitur; & in canone Scripturarum a nonnullis Veteribus Liber omittitur (i).

Haec majoris momenti adversus historiae hujus veritatem opponuntur. Quae tamen in medium deducta sunt repugnantia, plerumque in speciem tantum dissident. Exiguus adeo muneribus Mardochei in Regem fides donata fuerat, ut ne referenda quidem in Annalibus viderentur. Historia Regine coram Assuero sese sistens fufius hic, brevius ille Textus prosequutus est. Graecus Interpres narrationem suam ornandam sibi assumpsit, pluribus adjectis circumstantiis, frustra quidem in Hebraeo quaerendis, sed historicae veritati ne minimum quidem repugnantibus. Fieri potuisset concedimus, ut mendum in Graecum irrepens pro die 13. diem 14. reddiderit; neque enim usque aded sincerum eum Textum defendimus, quin vitii aliquid contraxisse poterit. Decem filii Aman poterant eodem tempore ac supplicio cum patre extingui, quamquam in Textu tum pri-

Vide si placet, Ruper. lib. 18. cap. 12. de victoria Verbi Dei, & lib. 12. de divinis Officiis. cap. 15.

u Vide Orig. Epist. ad Afric. & to. 2. in Jo. c. 14. Basil. contra Eunom. Chrysol. hom. 3. ad Antiochenos, August. Epist. 262. nov. edit. Hieron. in Epist. ad Galat. cap. 1. &c.

x Lutherani quidam & Anabaptista, & Aulbor scripti Gallici, cui titulus: Sententia de quibus Theologians de Hollande lett. 8. & 11.

y Escher 12. 5. 7. Escher 6. 3. a Conf. Escher 5. 2. cum 15. 4. &c.

b Conf. cap. 13. 6. cum 3. 12. & 9. 1. & 8. 12.

c Escher 9. 6. d Escher 16. 18.

e Escher 16. 16. f Vide potissimum capp. 13. & 16.

g Cap. 16. 10. 14.

h Ibid. ver. 22. 23.

i Vide Euseb. Hist. Eccl. lib. 4. cap. 26. de Melitone Aethanae. Epist. 39. Festali, Greg. Nazian. carn. de Script. SS.

* Vide in Vulgata cap. 11. b Vide in Vulgata cap. 12. 2. &c. c Vulgat. cap. 13. 17. d Vulg. cap. 13. 8. &c. e cap. 14. per totum. f Convenit per omnia cum cap. 15. 4. &c. nostra Vulgata.

g Vide cap. 16. h Vide Vulgat. cap. 10. 4. &c.

i Vulg. cap. 11.

k Origen. ad African. & in Joan. tom. 2. Vide & Hieron. Praefat. in Josue, & in Esther & Annot. ad fragm. Esther.